

# P R A E F A T I O S E B A - stiani Munsteri in librum compo- sitionis horologiorum.



Pud ueteres & primi seculi homines, quando omnia simpliciter gerebantur, & multi hominum pecudum more uiuebant, opus dei, quod ille per caelos operatur, parum aduertentes, nullæ habebantur diei partes, nisi quòd uespere & mane erat dies unus: uespere cubitū eundum, & illucescente aurora è lecto profiliendum ratione suggerente iudicabant: discernebatq̃ in hunc modum meridies ortum ab occasu. Vnde & dominus in lege Mosaiica sacrificia matutina duntaxat & uespertina sibi offerri præcepit, nulla alia ad ea determinata hora. Horologia tunc nulla habebantur, quæ diem in certas distinguerent partes. Præterea à uespera usq̃ ad uesperā iuebatur celebrari sabbatismus. Quod tamen Iudæi moderni obseruandum putant ab hora sexta post meridiem, usq̃ ad sequentis diei horam sextam postmeridianam, sabbatum atq̃ integram cæli reuolutionem ueluti incarcerantes duabus certis metis atq̃ temporis momētis, nescientes Iudæis qui in Chaldæa aut Assyria sunt, cū hic incipit sabbatum, sextam sabbati partem iam absumptam, id quod ob regionum accidere solet longitudinem. Indicat Macrobius Romanos olim huiusmodi habuisse diei partes. Post medium noctis sequebatur gallicinium, quòd tum galli cantent: deinde diluculum cū incipit cognosci dies, quod & crepusculum matutinū, hoc est, lux dubia, uocari solet: inde mane, cū dies est clarus, quod scilicet ab inferioribus locis, id est, à Manibus exordiū lucis emergat, uel quòd cum sole emergente manet & fluat dies ab oriente. Sequitur inde meridies, hoc est, diei medium: inde appetit occiduum tempus, quod & serum diei & tempus ferotinum uocatur, & nox suprema tempestas, quæ est solis occasus, deinde uespera seu uesper à uespero stella. Ab hoc tempore prima fax noctis, deinde nox concubia seu concubium, à cubando siue conticinium, quòd tum omnia taceant, siue nox intempesta, quòd tum tempus agendi nullum sit. Hæc apud Romanos. Vetustiores uerò & primi homines, potissimum qui fuerunt ante & aliquantisper post diluuium, qui multos uiuebant annos non erant tam curiosi & parci temporis expensores, ut nos, qui has minutias ob uitæ nostræ breuitatem non negligendas putamus & rectè quidem si actio sit bona & utilis, præsertim cū tunc adhuc extarēt multæ aliæ artes adinueniendæ, quæ hominum uitæ fouendæ magis necessariae erant, quam dierum noctiumq̃ in partes discrimminatio. Nam durauit mundus mille annis & suprà, priusquam homines inuenissent culturam uini, contenti potu aquæ, & cibo fructuum terræ nascentiū, iuxta illud Gen. I. הָיָה נְתָתִי לָכֶם אֶת בְּלַעַץ הָאָרֶץ וְאֶת עֵשֶׂב הָאָרֶץ וְרֵעַ אֲשֶׁר עַל פְּנֵי בָלַעַץ הָאָרֶץ וְיָהִי לָכֶם לְאֹכֶלָה Id est, En dedi uobis omnem